

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Multitudo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A poterat: hoc salutis augurium, cum aliis cæremoniis jam abolitis, restituit & Augustus Cæsar. Apud Livium sepe reperias vota ejusmodi facta. In ara five arcu Constantini Romæ vot. xx. scriptum, aspicias. In nummo Maximiani Pœni v o r. xx. in media laurea positum. Ita plerisque aliis locis & numis, vot. r. x. alibi, vot. xxx. votis quippe decennialibus, votis vicinalibus, tricennialibus: <sup>Maximiani</sup> <sub>ni Panis</sub> reatum scilicet voti solutum: quod ita postea posteritati commendabant, factis aut ex ære aut more monumentis.

## MULTITUDO. CAP. XXXIV.

Illud autem scitu non indignum, quod vicinalis numerus multitudinis significatum habet, de quo Theocritum legas:

*Ἐθέλτως ἐν Καζόγερπε τοῦ εὐαλη πατέων.  
Viginti natorum Hecuba nego maximus Hector.*

Ubi Poëtam numero abusum ajunt interpres, pro multorum: propterea quod sit numerus multitudini maximè congruus, quod etiam apud Simonidem observarunt. Homerus in ejusmodi significatum Unde viginti posuit, quod Latini uno minus viginti dicere conserunt.

## DUO MILLIA. CAP. XXXV.

Vicena superius eo gestu figurari ostendimus, cum pollicis lœvi unguem in eum indicis & infamis insimum locum, ubi digiti illi duo divercari incipiunt, affixerimus. Idem gestus iisdem digitis in dextera, duorum millium est hieroglyphicum. Neque ultra repetemus, quæ super hoc gestu perperam à quibusdam aliis excogitata sunt. Sed ad calcem festinantes, triginta jam & ter millia proferemus.

## XXX. CAP. XXXVI.

Triginta, ut ex Apulejo dicebamus, in denario indicabantur, indice & pollice adaptatis: ita tamen, ut utriusq; unguis ad osculum quodammodo coirent blando, inquit, amplexu Beda. Hieonymus eorum digitorum conjunctione molli.

## NUPTIA. CAP. XXXVII.

Et vero numerus tricenarius nuptiarum hieroglyphicum, ut facri Evangeliorum interpretes <sup>Tricenarius</sup> super Matthæo, affirmant, quod non multum absit ab eo numero per quem Ægyptii maritalem <sup>numeri in</sup> copulam, five, ut apud Horum est, maris & foeminae congressum significabant: gemina quippe <sup>sacra accessio</sup> voluptatis interventu. Nam cum numerus, ut paulo ante dictum est, xvi. voluptatis signum habeat, illi mox duo atque triginta nuptiarum hieroglyphicum esse constituerunt. Nuptia vero conjugalisque conjunctio eodem sic significato accipiuntur. Qui quidem congressus utrique voluptuosus, cum, ut Ovidius diceret, *utrimque resolvat*, geminari idemtide poscit ipsum voluptatis signum. Atque hoc illud est in Divinis literis, quod trigesimus annorum numerus pro maritali copula ponitur. Unde fructus ille trigesimus, qui offertur Deo, cum conjugalis vita castè puriterque, & nulla alterutrius partis injuria cum fide peragitur. Commode vero fecerimus, si rem hujusmodi sculpturi, eam non ex duplicatis xvi, vel ex integro xxxii. fecerimus, ac manum ipsam ea specie compoſuerimus, ut xxxii. repræsentet, unguibus, uti dictum est, lœvæ manus duobus illis ad osculum coœntibus, anularique & auriculari in flexum palma appressis, ut duo significant addita tricensis.

## TERNA MILLIA. CAP. XXXVIII.

Idem gestus in dextera, qui xxx. in lœva commōnstrat, tria millia significat. Quæ fuerint vero apud Romanos milleniorum notæ, quæ paucissimis atate nostra patuerunt, quæ earum ratio, in quinquageno & quingenteno numero copiosius explicabimus.

## XL. CAP. XXXIX.

Quod si pollicis ejusdem suffragio lateri vel dorso in lœva ejusdem indicis superinducta sit, ita que quadruplicata signo <sup>Notis signis</sup> facta digiti ambo quantum fieri potest, extendantur, indice tamquam horologii <sup>genarii numeri.</sup> cujuspiam